

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus VIII. De Statu Animarum Post Hanc Vitam.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)



LOCUS VIII.

De

STATU ANIMARUM POST
HANC VITAM.

§. I.

*Quid de
anima fiat
ante diem
iudicii?*



Hoc loco quaestio agitari potest de statu animarum post hanc vitam. Corpus consumitur putredine & vermibus, & quid de anima fiat ante diem illum iudicii, quaeritur. Ego quidem propterea eam disputationem attingo, ut praecidam & removeam curiosas aliorum quaestiones & disputationes. Simplex autem responsio est, quam Christus praescribit, cum inquit Matth. XXII. 32. *Deus non est mortuorum Deus, sed viventium.* Inde certi sumus vivere animas & dormire in pace, ne torqueri ullis cruciatibus. Idque multi loci Scripturae sanctae comprobant, quod post mortem non morimur, sed vivimus simpliciter, sicut sententiae admodum clare ex Esaia testantur Cap. LVII. 1. 2. *viri misericordia colliguntur, & nemo attendit, nec curat. Iustus sublatu est ante calamitatem, & antequam veniant erumnae, intrat in pacem suam, requiescit in cubiculo suo.* Haec admodum insignia verba sunt, & clare significantia mortuorum post hanc vitam, statum & conditionem. *Ingressiuntur, inquit, non in mortem, purgatorium aut infernum, sed in pacem.* Et ingens consolatio est, quod dicit iustos evocari ante calamitatem. Sic nos moriemur in pace, antequam veniat malum & calamitas super Germaniam. Congruunt ergo testimonia Prophetarum cum isto loco Genesis, ubi dicit Moyses, *collectum esse Abraham ad populos suos: nec de ho-*
rum

rum autoritate ambigamus, non enim mentitur, aut fallit Scriptura S. quiescunt sancti molliter & tranquille, sicut in Apocalypsi idem testatur de cœlo XIV. 13. *à modo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Hæc requies dicta est illo tempore *sinus Abrahæ*, & ab initio ante Abraham *Adæ*. Sancti enim, qui credebant promissioni de Christo, sic moriebantur, ut ex ærumnis & laboribus hujus vitæ evocati intrarent in cubiculum suum, ibi dormirent & in pace quiescerent. Hæc vera & plana sunt, consentanea Scripturæ & dicto Christi, quod sit Deus, non mortuorum Deus, sed viventium.

Ad Genes. XXV. Tom. II. pag. 1409. seq.

§. II.

Disputarunt (a) quoque de *receptaculis animarum*. Augu- *De anima-*
stinus abdita esse dicit in Enchiridio ad Laurentium, ubi Cap. *rum recep-*
CIX. inquit: *tempus autem, quod inter hominis mortem & ulti-* *iaculo.*
nam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis
continet, sicut unaquaque digna est vel requie, vel ærumna, pro eo
quod sortita est in carne cum viveret. Deprehenditur ibi imbecillitas humani intellectus. Sed respiciendum est ad verbum & omnipotentiam Dei. Si enim *tribus digitis ponderat cælum & terram* Deus, ut Esa. XL. 12. dicitur, certe verbum ejus longe majus & amplius est, verbum est spatium infinitæ amplitudinis. Ideo *receptacula animarum* sunt verbum Dei, sive promissiones in quibus obdormimus. Leve quidem & exile apparet, quando per os hominis pronuntiatur. Sed quando fide id apprehendimus, & in verbo obdormimus, *venit anima in spatium infinitum.* Hæc dixi ad compescendas cogitationes inutiles & supervacaneas, de hisce quæstionibus. Abunde enim satis est scire, nos securos & quietos emigrare in *sinum Christi*, hoc est, verbo & promissione nitentes effugere afflictiones & ærumnas, & frui perpetua pace, & securitate, juxta sententiam Christi, Joh. VIII. 51. *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non vide-*

vide-

Hebr. שְׁאוֹל
scheol dici-
tur,

videbit in aeternum. Igitur vivet in aeterna vita. In Scriptura S. commune illud receptaculum (b) non corporum tantum, sed & animarum, ubi omnes mortui congregantur, appellatur *scheola*. Est autem *chaos* illud nobis quidem incognitum, in quo non est differentia locorum, temporum, personarum, quo descendunt etiam hi, qui carent sepulchris. Est *locus communis*, si modo locus dici debet, non pro corpore, sed pro anima. In Symbolo Apostolico dicimus: *Christus mortuus, passus, & sepultus, descendit ad infernum*, ubi hæc duo juxta Hebræam phrasin discernuntur, sepultura, & descensus ad infernum. Et Psal. XVI. 10. inquit Christus: *non derelinques animam meam in inferno*. Proprie igitur, & definitive (*scheolah*) locus, vel receptaculum est animarum. Qualis autem ille locus sit, infinitis quæstionibus à veteribus disputatum & quæsitum est. Nobis hæc differentia sufficiat, quod sicut corpus servatur in terra, ita anima resoluta venit in suum *scheolah*. Nec traduntur diversæ *scheolah* piorum & impiorum. Alii acute sane disputant, & sunt varia argumenta in utramque partem, quæ me parum movent. In parabola de divite & Lazaro, dicitur dives sepultus esse in inferno, non corporis, sed animæ sepulchro; & tamen de piis aliter sentiendum est, quam de impiis in eadem *scheolah* existentibus. Sicut hic inquit Jacob, & supra etiam: *descendam lugens ad filium meum in infernum*, item: *deducetis canos meos in infernum*. Et de morte piorum certus & clarissimus locus est apud Esaïam, cum inquit: *intran pii in pacem, requiescunt in cubiculis suis*. Item Genes. XV. *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, & sepelieris in senectute bona*. Et Cap. XXV. *Abraham collectus est ad populos suos*. Hic est *scheolah*, id est, locus quidam, in quem colliguntur pii, quem appellat Isaïas pacem Cap. LVII. *veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua*. Ibi sane loquitur de mortuis. Sic ad Josiam dicitur 2. Paral. XXIV. *jam enim colligam te ad Patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum*

tuum

uum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod indu-
 cturus sum super locum istum. Hæc omnia ex Scriptura S. ma-
 nifesta & certa sunt, quod sancti secundum corpus vadunt
 in *Kefer*, (קבר) sicut Abraham in agro *Ephron*, è regione *Mam-
 bre* sepelitur; secundum animam vero ingrediuntur cubicu-
 la sua, in *scheola*, ubi congregantur cum patribus suis. Ac
 habent quidem *pri infernum*, in quem descendunt, sed ut re-
 quiescant in eo. Et quanquam cum mœrore descendunt, ta-
 men ad quietem & pacem transeunt, atque adeo nihil aliud est
 descensus iste piorum, quam mutatio hujus vitæ in alium statum,
 ubi amplius non vivitur sub sole, & super terram, sed relicta
 vita hac intrant incubilum sive stratum suum, in quo dormiunt,
 & requiescunt, donec corpus & anima rursus copulentur in
 futura & æterna vita.

(a) *Ad Genes. XXV. Tom. II. pag. 1412. seq.* (b) *ad Gen. XLII. Tom.
 IV. pag. 586. seq.*

§. III.

Ille locus ante Christum dictus est *sinus Abrahæ*, (c) & ea *Sinus Abra-*
 dem appellatione ipse quoque utitur, quam haud dubie ex ser- *ha quon-*
 monibus piorum & Patrum mutuatus est, cum dicit Lazarum *dams*
 translatum esse in sinum Abrahæ: de cujus explicatione (d)
 aut definitione cuilibet suum relinquo iudicium, pro singula-
 rum captu, neque quicquam asseram, cum & Augustinus di-
 cat, se nescire. Sed non recte facimus, si servamus sinum Abra-
 hæ in Novo Test. Sicut enim ante mortem Abrahæ non fuit si-
 nus Abrahæ: ita nullus amplius est post Christi adventum. Non
 facio igitur hoc tempore sinum Abrahæ, nec sentio ullum locum
 esse, in quo tanquam gremio nos amplectatur Abraham, sed
 sinus Abrahæ, quo fovet & amplexus est omnes sanctos morien-
 tes usque ad mortem Christi, est promissio facta Abrahæ: *in*
semine tuo benedicentur omnes gentes. Sic sinus *Adæ* fuit pro- *et Adæ.*
 promissio edita in Paradiso: *Semen mulieris conteret caput ser-*

Iii iii

pentis,

pentis, & qui in fide illius promissionis decesserunt, servati sunt: quia verbum Dei spatiosius & amplius est coelo & terra. Sinus igitur Abraham est promissio de venturo Christo, cujus promissionis pater est Abraham. Sed hodie versa est in verbum de Christo manifestato in carne, & qui diversum crederet, esset Judæus & damnatus: quia *Abraham sinus post resurrectionem rectius nem CHRISTI destructus est*, & successit melior sinus, scilicet, Christi: quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in *Christi sinum*. Et sicut Patres mortui sunt in fide venturi Christi, atque ita collecti in sinum Abraham, hoc est, in expectatione futuri Salvatoris: ita mori nos oportet in fide Christi Salvatoris exhibiti, & post hanc vitam in sinum Christi nati, passi, crucifixi, & resuscitati pro nobis colligimur, nihil solliciti amplius de sinu Abraham.

(c) *Ad Genes. XLII. pag. 589.* (d) *ad Genes. XXV. Tom. II. pag. 2407. seq.*

§. IV.

*Qualis vita
aut quies
sit beate
mortuorum:*

Jam vero alia quaestio nascitur, cum certum sit vivere & esse animas in pace, qualis illa vita aut quies sit? Hæc vero sublimior & difficilior est, quam ut à nobis possit definiri. Deus enim noluit id à nobis cognosci in hac vita. Sufficit igitur nobis hæc cognitio, non egredi animas ex corporibus in periculum cruciatuum & poenarum inferni, sed esse eis paratum cubiculum, in quo dormiant in pace. Differunt tamen somnus sive quies hujus vitæ & futuræ. Homo enim in hac vita defatigatus divino labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, ut ibi dormiat, & ea nocte fruitur quiete, neque quicquam scit de ullo malo, sive incendii sive cædis. Anima autem non sic dormit, sed vigilat & patitur visiones, loquelas Angelorum & Dei. Ideo somnus in futura vita profundior est, quam in hac vita, & tamen anima coram Deo vivit. Hac similitudine, quam habeo à somno viventis hominis, contentus sum:

in

in illo enim pax est & quies, putat se dormivisse vix unam aut alteram horam, & tamen videt animam ita dormire ut etiam vigilet. Sic anima post mortem intrat suum cubiculum & pacem, & dormiens non sentit suum somnum, & tamen servat Deus vigilantem animam. Ita potest Deus excitare Heliam, Moysen &c. & sic regere, ut vivant. Sed quomodo? Nescimus, sufficit similitudo somni corporalis & quod Deus affirmat, esse somnum, quietem & pacem. Qui somnum naturalem dormit, nihil eorum scit, quæ geruntur in domo vicini, & tamen vivit, licet, contra naturam vitæ, nihil sentiat in somno: idem in illa vita fiet; sed alia & meliore ratione. Proinde sicut mater detert infantem in cubiculum, ponit in cunas, non ut moriatur, sed ut dormiat, & quiescat suaviter: ita ante Christum & multo magis post Christum ingressæ sunt, & ingrediuntur omnes animæ credentium, in sinum Christi.

Ad Genes. XXV. p. 2411. seq. Conf. ad Genes. XLII. p. 390. seq.

§. V.

Locum impiorum proprie *gehennam* vocant, quod voca- *Gehenna le-*
bulum *Hieronymus* inventum dicit ab ipso Salvatore. Etymolo- *-cus impio-*
gia autem est à valle aut prato in suburbano Hierosolymitano *-rum.*
amoenissimo & nemoroso, ad Orientem, cujus mentio fit Jer.
VII. *vallis filiorum Hinnom.* Ibi enim crebro & libenter sacrifi-
cabant, neglecto sacerdotio & templo, quod erat in urbe &c.
Hanc vallem habuerunt Judæi pro vera Ecclesia, & vocarunt
Tophet (à *Toph* tympano, q. d. templum tympanorum, quæ pul-
sabant ad puerorum cædem, *ein Trummel-Kirchen/ ein Pfeiffen-*
Kirchen!) quod revera fuit prostibulum ad fallendas animas aptis-
simum. Narrant etiam *Lyra* & alii, fuisse in templo ibi condito
idolum *Moloch*, placandum filiis & filiabus oblatis, ut testatur
Psal. CVI. 37. *Et immolaverunt filios suos & filias suas demoniis.*
Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum & filia-
rum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Canaan. Ideo minaa-

tur Deus se locum illum funditus excisurum, sicut inquit Jeremi. VII. 31. seq. *adificaverunt filii Israel excelsa Tophet, quæ est in valle filii Hinnom, ut incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ nec præcepi, nec cogitavi in corde meo. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur apud Topheth, & vallis filii Hinnom, sed vallis occisionis. Sepelient enim in Topheth, eo quod locus alius non sit &c.* Es soll heißen ein Todtenthal/ ein Würgenthall/ ut locus ille sacer sit in sepulturam interfectis propter idololatriam. Sic Esaias Cap. XXX. 31. ff. Poetice depingit pœnas & cruciatus impendentes Regi Assyriorum in inferno. *Machet ihm ein Singentans in der Höll. Et erit transitus virga fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis, & bello circumquaque expugnabit eos. Preparata est præterea jam olim Topheth &c.* quod de gehenna fere omnes interpretes intelligunt. Atque ea appellatione Christus æternam damnationem significare voluit, sumpta à cæde corporali. Sicut enim fuit gehenna, seu mactatio puerorum: ita postea sanguinem eorum ultus est Deus maxima strage Judæorum, qui eodem loco à Chaldæis interfecti sunt. - Idem significat *Getsemani*, locus, ubi Christus traditus & prehensus est, quod reddidit Hieronymus vallem adipeam, sive pinguiissimam, & scribit fuisse ibi miras delicias hortorum, & meminit ejus Josephus quoque. Arbitror autem Christum loco illo amœnissimo sustinuisse dolores inferni, ideo eum odit, & vocavit gehennam. Reliqua vide in Loc. XVI. de CHRISTO §. LXII. p. 830. seq.

§. VI.

Quinque Hic Papistarum stultitia taxanda est, qui post mortem fecerunt quinque loca. *Primum*, infernum damnatorum. *Secundum*, loca animarum a Pontific. infantium non baptisatorum. *Tertium*, purgatorium. *Quartum*, excogitata. limbum Patrum. In Novo Test. addiderunt Paradisum, propter dictum Christi: *hodie mecum eris in Paradiso.* *Quintum*, coelum i. damnatorum infernus. apertum. *Primum* locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus

ciarius ignis æterni. Verum an animæ impiorum torquantur *an impij*
 statim post obitum, non possum affirmare. Quanquam exem- *mox post*
 plum diuitis epulonis huc facit. Sed contrarius locus est, 2. Pet. *obitum tor-*
 II. 4. de malis angelis, qui *servantur ad iudicium*, & verba Pauli *queantur?*
 2. Cor. V. 10. *omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal*
Christi: ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive
bonum, sive malum. Apparet eos etiam dormire & quiescere;
 sed nihil adfero. Secundus locus est *non baptisatorum infan-* *2. non bapti-*
 tium, illos dicunt quidem damnatos esse, sed non pati pœnam *satorum in-*
 ignis aut vermium, sed tantum carere visione Dei. Illam lucem *fantum.*
 non habent, qua Deum & Angelos viderent, & tamen non cru-
 ciantur. Tertius *circulus est purgatorii*, in quod nec damnati, *3. circulus*
 nec infantes ingrediuntur, sed qui credunt quidem, & tamen *purgatorii.*
 non satis fecerunt pro peccatis, horum animæ redimuntur in-
 dulgentiis. Hinc illa colluvies indulgentiarum, & tota religio
 Papistica. Quartus est *limbus Patrum*, ad quem descendisse *4. limbus*
 Christum dicunt, & effregisse, & patres liberaſſe, non ex in- *Patrum.*
 ferno, sed ex limbo, qui affligebantur desiderio & expectatio-
 ne Christi, non pœnas aut cruciatus sustinebant ullos. Hisce
 nugis repleverunt Ecclesiam & orbem terrarum. Nos radicitus *Refutat.*
 ista omnia evertimus, & dicimus infantes non baptisatos, non *de infanti-*
 habere talem circulum: in quo statu sint, aut quid de iis fiat, *bns,*
 commendamus divinæ bonitati: non habent fidem, nec Baptis-
 mum, num vero singulari modo eos recipiat Deus, & det fidem,
 non extat in verbo, nec nos statuere audemus: privari visione
 divina est ipse infernus. Concedunt, quod habeant voluntatem
 & intellectum, præsertim de visione divina & vita. Sed fabulæ
 sunt. Ac *purgatorium* maxime est fabulosum, quia innititur im- *purgator,*
 pierate & incredulitate. Negant enim fidem salvare, & statuunt
 causam salutis satisfactiones pro peccatis. Qui igitur in purga-
 torio est, in ipso inferno est. Sic enim cogitat: ego sum pecca-
 tor, & debco satisfacere pro peccatis meis, ideo condam testa-

limbo Pa-
trum.

mentum, legabo certam pecuniam ad ædificia templorum, ad redimendas preces, & sacrificia monachorum & sacrificiorum & pro defunctis: tales moriuntur in fide operum, & ignorant, imo oderunt Christum. Nos in fide Christi morimur, qui mortuus est propter peccata nostra, & satisfecit pro nobis: is meus sinus, Paradisus meus, consolatio & spes mea est. De *limbo Patrum* improprie locuti sunt: rectius sinum Abrahamæ dixissent, quia mortui ante Christum servati sunt, in promissione verbi, in quo vixerunt, in hac vita & morientes quoque ingressi sunt vitam, & vere vivi fuerunt. Verborum Christi ad latronem hæc sententia est: *hodie mecum eris in Paradiso*, id est, in meo sinu, ubi ego sum, similiter & tu eris, ibi cælum & Paradisus idem sunt: nisi quod adhuc apud sanctos, quies & pax est, non regnum. Christus est in cælo vel Paradiso, ut gubernet, judicet, regat Ecclesiam, mittat Angelos ad ministerium Ecclesiæ, distribuat dona hominibus, exaltet humile &c. Semper enim operatur, non quiescit: sicut sancti dormientes, de quibus Esa. LXIII. dicitur: *Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos*. Magnum itaque discrimen est inter sanctos dormientes, & Christum regnantem: illi dormiunt, & nesciunt quid agatur, & tamen quiescunt: impii vero quando moriuntur, sive olim ante Christi adventum decesserint, sive hodie post exhibitum Christum, simpliciter vadunt ad damnationem. An vero statim incipiat damnatio post mortem, nescimus, quia scriptum est, sistendos esse omnes ad tribunal judicis: & Joh. V. 29. *prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*.

Ad Genes. XXV. pag. 1413. seq.

§. VII.

Duo ordines
damnatorum
& salvandorum

Ad Matth. XVI. quæstionem movet Noster, *quid faciant, vel patiantur interim mortui, donec veniat Filius hominis?* & respondet de iis, qui sine dolore moriuntur, nec mortem gustant,

stant, non esse dubium, quin nil mali patiantur. De iis vero, qui ^{rum secun-} non sine dolore moriuntur & gustant mortem, sic differit. *Hic dum Papi-*
Papista facerent duos ordines: unum damnatorum, qui perpe- ^{stas.}
tuos manent in gustu, seu potius ebrietate mortis, id est, quicum
divite Epulone in inferno torquentur: alterum salvandorum,
qui in purgatorium vadunt, gustaturi mortem ad tempus, do-
nec liberentur. Sed de Epulone nihil ad propositum nostrum;
quia hic de salvandis loquimur. Nam sive damnati mox inci-
piant suum infernum, sive in die iudicii, nihil ad quæstionem
& ad nos, cum sint iudicati suo iudicio æterno. De aliis vero,
quia purgatorium probari non potest certa auctoritate Scripturæ
aut Patrum (quanquam Patrum auctoritas in tanta causa non sit
satis) sine periculo licet sentire. Quod post gustum mortis, so-
luto corpore, desinant gustare mortem, & requiescant etiam
ipsi tunc in pace & securitate usque ad Christum iudicem. Ad
quod satis alludit, illud Apoc. XIV. à modo jam dicit spiritus, ut
requiescant à laboribus suis. Loquitur enim de iis, qui in Domi-
no moriuntur, sive cum gustu mortis, sive absque gustu mor-
tis. In Domino enim mortui salvi sunt. Quare si requiescunt, ut ^{Purgatorium}
textus dicit, sequitur nullum esse purgatorium. Nisi velis dicere ^{quomodo}
eos, qui cum gustu mortis moriuntur, non in Domino mori, sed ^{Lutherus}
in diabolo, & extra ac contra Dominum mori, sicut ille Epulo. ^{negaverit}
Si autem in Domino moriuntur (etiam cum gustu mortis) cer- ^{& asserue-}
te requiescunt à laboribus suis, multo magis à cruciatibus suis, ^{rit?}
aut nega verba Apocalypsis. Purgatorium à me assertum jactant
Papista & Antilogista, & adhuc assero; sed illud, quod in Psal-
mo frequentatur, ubi sancti laudant Deum, quod ab inferno
inferiori, de tenebrosis & umbra mortis, de manu inferni de
periculis inferni, de sinibus & portis mortis, & quæ sunt similia,
liberati sunt, sed non sacrificiis, aut operibus sacrificulorum,
peffimorum, impurissimorum, impiissimorum hominum, qui
suas Missas pro pecuniis scelerate vendiderunt, & operibus ope-
ratis

Purgat. Pa- ratis Deum & homines deriserunt. Denique hoc purgatorium
pist. fictum. non est fictum purgatorium (quale est ipsorum) opinionibus as-
 sertum, sed res ipsa & nimium serium, his qui cum Prophetis &
 sanctis omnibus in schola Christi discunt hanc duram lectionem,
deducit ad inferos & reducit, mortificat & vivificat. Sed satis
 alias de purgatorio Papistico & mendaci dixi. Nam Patres, quos
 jactant, non habuerunt cogitationes istorum pessimorum ho-
 minum, nec docuerunt, multo minus speraverunt, fore ali-
 quando, ut docerentur in Ecclesia. At Abraham & Lazarus
Except. certe vivunt, & Epuloni videntur, & invicem loquuntur? Re-
Respond. spondeo, vivunt utique, sed qua lingua loquantur, quibus au-
 ribus audiant, quibus oculis videant, qualia sint brachia & sinus
 Abrahæ, quis intelligit? cum corpora ipsorum cum suis mem-
 bris jaceant in sepulchro, in pulveres redacta. Denique quis
 novit, quale sit illud tempus, cum non sit hoc nostrum sub sole
 tempus, ex quo sunt translati. Quicquid sit, hoc satis est nosse,
 Abraham & Lazarum esse in pace & quiete. Quare ex ista vi-
 sione non probatur purgatorium illorum, qui obdormierunt in
 Domino.

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 368. a, b.

§. VIII.

*Origo erro-
 ris de pur-
 gatorio.*

Ex hisce satis liquet, quid *Lutherus* de Purgatorio sense-
 rit. Quanquam enim primis Reformationis annis, in *Resolutio-
 nibus de Indulgentiis* (e) concesserit esse Purgatorium, & dixe-
 rit, medium illud esse inter infernum & cœlum, sic tamen, ut
 propius sit inferno, quam cœlo: tamen in *Disputat. Lipsia*
cum Eccio habita affirmavit, (f) totam Scripturam divinam pror-
 sus nihil habere de Purgatorio; sed omnia loqui vel de inferno,
 vel cœlo, & ad loca ab Eccio sive ex Scriptura sive ex Patribus
 prolata, respondit; tandem vero peculiari scripto revocavit
 sententiam suam A. 1530. (g) *Wiederruff vom Fegefeuer* / ubi ar-
 gumenta adversariorum, sive mendacia potius, detexit & refuta-
 vit.

vit. Idem breviter fecit in novissimis scriptis, imprimis in enarrationibus ad Genesin, unde aliquam multa attulimus. Quibus ea addimus, quæ ad Genes. XLII. scribit, (h) unum *Gregorium* fontem & autorem esse fabularum de purgatorio & missarum pro defunctis, levi hac occasione inductum. Narrat enim (inquit) alicubi *Gregorius*, fuisse *Oeconomum* quendam in monasterio suo, qui fortuito & negligentia quadam inter chartas reliquerat tres aureos, quos cum post mortem invenisset *Gregorius*, miras tragedias egerat in demortuum, & propter scelus furti maledictum & æternis pœnis obnoxium fore clamitarat, cum quidem verisimile esset, Monachum illum majorem copiam furandi habuisse in aliis, neque quicquam tamen ab eo surreptum fuisse, sed hanc pecuniam ipso nescio inter chartas latuisse. Eo tamen exemplo, & clamoribus *Gregorii* reliquos ita consternatos esse affirmat, ut nemo eorum ne teruncium quidem deinceps retinere vellet. Tandem vero iussit pro eo recitari triginta Missas, quibus peractis scribit sibi apparuisse *Oeconomum* illum, & maximas gratias egisse pro tanto beneficio, quo pœnis & maledictione divina liberatus esset. Hæc nimirum *ἐνέργεια* seu efficacia erroris fuit 2. Thess. II. & ab eo exemplo *Gregorii* manavit in totum orbem terrarum infinita illa multitudo abominationum, & oblationis Sacramenti pro mortuis. Fuit autem spectrum illud, quod apparuit ei, nequissimus diabolus, exortus ab inferno ad illudendum toti generi humano. Nam horribile & temerarium commentum Purgatorii & Missarum pro defunctis superat omnem sensum & colloquentiam.

(e) *Tom. I. Gen. Lat. fol. 90. seq.* (f) *Tom. eod. fol. 268. b. seq.* (g) *Tom. V. Alt. p. 292. ff.* (h) *ad Genes. XLII. pag. 592. 593.*

Kkk kkk

LOCUS